



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Fidei Exhibita Invictiss. Imp. Carolo V. Cæsari
Aug. in Comicijs Avgvstæ. Anno M. D. XXX.**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1542

VD16 C 4714

Ad Lectores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35748

AD LECTORES.



HAEC CONFESSIO
 prorsus ignorantibus Prin-
 cipibus q̄ eam Cæsari exhi-
 buerunt, ab auaro aliquo
 Typographo, ante semestre
 publicata est. Et ita excu-
 sa est, ut multis in locis appa-
 reat de industria deprauatam esse. Cum autem
 Principes, nec si uelint, queant eam nunc è mani-
 bus hominum extorquere, & tamen periculum
 sit, ne mendæ illæ, primæ editionis pariant nouas
 calumnias, necesse fuit recognitam & emendatam
 denuo edere, quia non solum ad existimationem
 Principum, sed etiam ad religionem pertinet, præ-
 stare, ne ipsorum titulis spargantur in uulgus
 huius generis mendosa scripta. Quare nunc emit-
 timus probe & diligenter descriptâ Confessionem,
 ex exemplari bonæ fidei. Addidimus & Apolo-
 giam quæ etiam Cæs. Maiestati oblata est. Vere-
 bamur enim futurum, ut alibi ederetur non fœli-
 cius, quam edita est Confessio. Quanq̄ autem ad-
 uersarij placari nolint, tamen speramus omnes bo-
 nos ac prudentes uiros ubiq; gentium his libellis
 lectis, intellectuuros esse q̄ nullum dogma contra
 a ij autoritatem

AD LECTORES.

autoritatem scripturæ sanctæ & Catholicæ Eccle-
siæ profiteamur, Sed quod nostri optimo iure
quosdam abusus reprehenderit, & præcipuis lo-
cis doctrinæ Christianæ, qui ad id tempus perni-
ciosissimis opinionibus obruti fuerant, lumen attu-
lerint. De iusticia fidei omnia templa, monaste-
ria, scholæ, deniq; libri omnes theologorum re-
centium antea muti erant. In doctrina pœnitentiæ
nusquam tradebatur certa & firma consolatio
conscientiarum. Nemo docebat peccata remitti
per fidem in Christum. Doctrina satisfactionum
carnificina erat conscientiarum. Sacramenta im-
pie prophanata sunt, postquam recepta est opi-
nio q̄ ex opere operato iustificent. Et hæc opi-
nio doctrinam fidei prorsus oppressit, & multipli-
cem Idolatriam peperit. Traditiones humane plus
quam labyrinthi erant, quia partim Iudaicis ac
supersticiosis, partim tyrannicis interpretationi-
bus, in infinitum auctæ fuerant. Postea relaxatio
traditionum collata fuit ad questum. Hæc uicia
nostri reprehenderunt, non ut Ecclesiasticam po-
litiam dissoluerent, sed ut gloriam Christi illustra-
rent, ut Euangelium natiuæ puritati restituerent,
ut pijs conscientijs consulere. Neq; nunc possunt
deserere patrociniū ueritatis, cū Christus dicat,
Omnis

AD LECTORES.

Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in caelis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in caelis est. Nunc igitur rogamus omnes bonos uiros, ne de nobis, tantum ex aduersariorum scriptis aut clamoribus iudicium faciant, qui miris technis & calumnijs ueritatem obruere conantur, sed quod æquissimum est, audiant nos quoque & causam totam cognoscant, quæ cum ad gloriam Dei, ad religionem, & ad salutem animarum pertineat, nemi- ni debet esse ignota.

a iij

Prefatio